

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level One Medieval Latin Examination

13 April 2009

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**
.....

1. **Two saintly bodies discovered (Gervase of Canterbury)**

Lamfrancus autem archiepiscopus in tabula plumbea ponderosa valde inventus est, in qua a die primae sepulturae suae intactis membris, mitratus, spindulatus, usque in illum diem jacuerat, annis videlicet sexaginta novem et aliquot mensibus. Hic in plumbo suo in vestiarius delatus et repositus est, donec diffiniretur in communi quid de tanto patre fieri deberet. Cumque tumba Theobaldi archiepiscopi tabulis compacta marmoreis aperiretur et usque ad sarcophagum perveniretur, existimantes monachi qui affuerant illum in pulverem redactum, vinum et aquam ad ipsius ossa lavanda afferri fecerunt. Sed sullato sarcophagi lapide superiore, integer et rigidus apparuit, ossibus et nervis, cute et carne sed extenuata cohaerens. Mirati sunt astantes et manibus appositis super tabulam gestatoriam eum posuerunt, sicque in vestiarius ad Lamfrancum delatus est, ut de utroque conventus discerneret quid decentius fieri oporteret. Insonuit interea rumor in populo, et jam a plerisque propter insolitam integritatem Sanctus Theobaldus appellatus est.

2. The pirate and the emperor (Gesta Romanorum)

Refert Augustinus in de civitate dei, quod Dyonides pirata galea una longo tempore in mari homines spoliavit et cepit. Qui cum multis navibus jussu Alexandri fuisset quesitus et tandem captus, et Alexandro presentatus, eum interrogavit dicens: Quare mare habet te infestum? Ille statim respondit: Quare te orbis terrarum? Sed quia ego hoc ago una galea, latro vocor, tu vero mundum opprimens navium multitudine magna, diceris imperator; sed si circa me fortuna mansuesceret, fierem melior; e converso tu quanto infortunacior tanto deterior. Alexander respondit: Fortunam tibi mutabo, ne malicia tue fortune, sed meritis ascribatur. Sicque ditatus est per eum et de latrone factus est princeps et zelator justicie.

Carissimi, latro in mari cum una galea est peccator in mundo cum sola vita, et tamen non desistit occidere virtutes et spoliare per peccatum quas recepit in baptismo. Sed Alexander i.e. princeps vel prelatus habet talem ad viam rectitudinis adducere per naves i.e. per monita sancta ecclesie.

3. St. Elizabeth's patience with a difficult woman (Dietrich of Apolda)

Testificor coram Deo et electis angelis eius, me nichil in hoc libello posuisse, nisi que ex scriptis probatorum habere potui.....

Fuit tunc ibidem mulier quedam, informa et vetula, cuius paupertati per elemosinam, egritudini per medicinales species, senectuti solaciis succurrebat. Eratque arta quedam via, ubi pro luti profunditate lapides fuerant transeuntibus collocati. Occurrit ibi benefactrici sue, de qua prefati sumus, vetula eique nolens cedere impegit ignobilis in nobilem, proterva in mansuetam, beneficii immemor in misericordem. Corruit ergo in luti profundum Dei famula omnino cum vestibus omnibus inquinata. Quod cum multa lenitate et paciencia sufferens elevata multum risit lavitque cum gaudio vestes suas sordidas in flumine, animam vero patientem in agni sanguine. Hec omnia venerunt super eam, nec oblita est Dei et inique non egit, sed quanto magis habundabant tribulaciones, tanto habundabant consolaciones per multas divinas revelaciones, quibus frequenter visitabatur a Domino horis nocturnis et diurnis in oracionibus constituta.

4. Money, money, money (Carmina Burana)

In terra summus rex est hoc tempore Nummus.

Nummum mirantur reges et ei famulantur.

Nummo venalis favet ordo pontificalis.

Nummus in abbatum cameris retinet dominatum.

Nummum nigrorum veneratur turba priorum.

Nummus magnorum fit iudex conciliorum.

Nummus bella gerit, nec si vult, pax sibi deerit.

Nummus agit lites, quia vult deponere dites.

Erigit ad plenum de stercore Nummus egenum.

Omnia Nummus emit venditque, dat et data demit.

Nummus adulatur, Nummus post blanda minatur.

Nummus mentitur, raro verax reperitur.

Nummus periuros miseros facit et perituros.

Nummus avarorum deus est et spes cupidorum.

Nummus in errorem mulierum ducit amorem.

Nummus venales dominas facit imperiales.

Nummus raptores facit ipsos nobiliores.